... Rudolphi Conclusiones theologicae de Deo ut uno.

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

CONCLUSIONES THEOLOGICÆ, DE DEO ut UNO.

Ex Prima Parte D. THOMÆ *Doctoris Angelici,*

PRÆSIDENTE

M. CHRISTOPHORO SOWINSKI, S. THEOLOGIÆ PROFESSORE, Collega Maiore, Ecclesiarum Collegiatarũ S. FLORIANI & Pilecensi CUSTODE;

AB

ANDREA RUDOLPHO MARGOWSKI, Artium Magistro, & Philosophiæ Doctore,

Publicè ad Disputandum

In Augusta D. Vladislai Jagellonis Aula,

PROPOSITÆ.

Anno Dñi, 1684 Die 27. Septembr.

CRACOVIÆ, TYPIS UNIVERSITATIS.

In Auitum Inſigne Perilluſtris & Rndiſſimi Dñi,



Dicitur enutriſſe ſuo pia Caprea lacte,
Vberaq; infanti ſacra dediſſe Ioui;
Rex ſuperûm factus, Signa inter Cælica Capram
Transfert, & multo Cornua flore beat.
SZEMBECIÆ Lechicis nutriunt quoq; Numina terris
Purpureas referunt muneris ergo ROSAS.
Abſq; tamen ſpinis; igitur cupit addere ſpinas
Theologi, niueis, ardua ſparta ROSIS.

Perillustri & Reuerendissimo Domino.

D. STANISLAO

à SLVPOW

SZEMBEK,

Cracouiensi & Præmisliensi Canonico,
Archidiacono Zauichostensi,
In Magna Xiąz PRÆPOSITO, &c &c.
S. R. M. SECRETARIO,

DOMINO & PATRONO AMPLISSIMO.

V*Sitatam veteri naturæ ritu temporum vicissitudinem, moremq; non interrupto rerum cursui ex æquo destinatum Tua prorsus confundit euertitq; magnitudo.* Perillustris & Reuerendissime Domine. *Cum enim prodromus iam sæuæ hyemis Authumnus omnia seram in maturitatem composita, tædio victæ manui in vindemiam concedit, vernantiumq; decorum obsoletum diurna orbitate intendit spolium; Auito Tuo è Roseto Pallas Theologica, noua suis auspicijs nectit mutuatq; Coronamenta. Vt quid enim sua alibi quæreret ornamenta, cum Domi apud Te hoc est Gentilitijs Tuis in Rosis ea reperiat, quæ suum in odorem animos cunctorum & pectora rapiunt. Conuenit hîc cum Candore rubor (quanquam nihil est quod erubescat) sed alter non fucatæ sinceritatis symbolum, alter longo Maiorum è Sanguine deriuatus color est. Fuderunt non segni toties ausu Heroæ SZEMBECIORVM manus Marte expressum, Barbaris è ceruicibus cruorem, suumq; vicissim alternis vicibus Fidei in obsequium amorisq; publici perenne documentum litauêre. Nulla pene à primo Vestrî in Patria exortu, nulla exstitit ætas, quæ dextras mentesq; SZEMBECIORVM in excidium Odrysij-Hostis coniuratas, sarmaticis sub signis haud militare spectasset. Quorum numerosam seriem, tenui hoc strictoq; pagellæ huius ambitu comprehendere, nec fas nec ratio sinit; præsertim cum Aris non areis cruore barbarico tinctis Nomen Tuum Innocentiæ natum videam amicius. Reuiuiscit attamen genuina coloris illius species in Senatoria Purpura nuper ex asse meri-*

torum, rectefactorumq́ calculo oblatâ Illustrissimo & Magnifico Domino Parenti Tuo Castellano Sanocensi qui ad omnem eui huius elegantiam natus, pulcherrimam communis gloriæ, augustæq́ ad omnia mentis amussim repræsentat. Comitatur illum passibus æquis cara Soboles Magni Parentis non degener Filius, Illustrissimus & Magnificus Dominus Præclaus SZEMBEK Capitaneus Beccensis, Germanus Tuus perquam amantissimus; qui magnis non nisi ac serijs Patriæ suæ destinatus negotijs; seu Bellona Heroem, seu Iudicem Astræa Sacro toties Tribunalis Regni in conspectu velit; arte & Marte Cæsarem vbiq́ Lechicus spectauit Orbis. At quo me citati pectoris impetus vrget? Occurris Tu quoq́ pari factorum comitatu non tenue oris calamiq́ negotium, votorum meta meorum, Perillustris & Reuerendissime Domine. Quidquid in plures diuisim Naturæ beneficium sparserat in Te meliori compendio legimus vniuersa. Præcelsi magnitudinem animi, constantisq́ maiestatem vultûs, miro in Te Natura coniunxit fœdere, virtusq́ inuiolabili perfecit nexu. Inde Cæleste nectar superis Ganimedis ministerio oblatum fabulosa tacebunt somnia; si Sacri dulcedinem eloquij Tui libarint prægustatam. Namq́ Rosas solo poteras ex ore mereri. Quid singularis prudentiæ documenta, conformemq́ magnis Consilijs genium Tuum sileam o delicium & gemma magnorum Præsulum. Ita Tu verius extra vetus commentum, Gentilitijs Tuis deriuas à Capreis ditissimum Copiæ Cornu, ex quo coronata Rosis floribusq́, omnimodi decoris amplitudo, vberrimo in Te prouentu dimanauit. Nec minor augustæ felicitatis gloria vestrum inde deriuata est in sanguinem quòd pulcherrimis Auiti vestri Nominis Rosis ceu sideribus maiorem claritudinem mutuastis Niueo Præsuleæ FASCIÆ à Zodiaco. Non alio etenim elegantis animi magnitudo Orbe capi poterat, nisi illo, in quo posthumæ secura æternitatis, strictissimi amoris nexum sæculis obijciat insolubilem. Sed iam admitte inuitatam suauissimo Rosarum Tuarum oblectamento Palladem Theologicam, quæ cum videat graue, floridis rerum decoribus sæuientis Authumni periculum imminere; Illa vt Tuo fauore ac singulari patrocinio Fortunatissimiq́ Tuis sub auspicijs secura, candidos possit ducere & sine nube dies. Id sibi vouet, id singulari Tua à Gratia precatur.

Perillustris & Rn̄dissimæ Dn̄is Vestræ

æternùm Obseruantissimus Cliens,

ANDREAS RVDOLPHVS MARGOWSKI,

Artium Magister & Philosophiæ Doct.

CONCLVSIONES THEOLOGICÆ.

DE DEO VT VNO.

De Existentia Dei.

DEVM esse, est per se notum secundùm se: non quoad nos; nisi certè in actu signato. Inuincibiliter non potest ignorari, etiam ab hominibus incultis & agrestibus, ac in syluis & montibus enutritis. Demonstrari verò potest tantùm à posteriori: isq; vnus.

De Natura, seu Quidditate Dei.

NAtura DEI non constituitur formaliter per infinitatem: nec per Esse à se; sed per gradum Intellectiuum, seu Intellectualitatem: non quidem radicalem, aut proximam; sed per ipsum Intelligere actuale: idq; non sub conceptu operationis; sed sub conceptu vltimæ actualitatis completæ & per se subsistentis. Ratio speciei Intelligibilis seu Impressæ, est formaliter in illo: & Ratio Speciei Expressæ, idque in linea absoluta, non quidem propriè & adæquatè, sed impropriè & inadæ-

quatè. Id tamen vtrumq; non distinguitur virtualiter ab eius Essentia, Intellectu & Intellectione; sed præcisè ex modo nostro concipiendi res diuinas, per Analogiam ad creatas. Nec datur in ipso potentia Intellectiua virtualiter ab Intellectione distincta. Obiectum verò illius Intellectus, non est Ens vt sic; sed Ens Increatum: idq; tam Motiuum, quam Terminatiuum, est sola Essentia Dei, vt distincta virtualiter ab Attributis & Relationibus.

De Attributis Dei in Genere.

ATtributa Dei, tàm ab Essentia, quàm inter se, non distinguuntur formaliter, seu ex natura rei; sed Ratione Ratiocinatâ. Multò minùs realiter entitatiuè, vel solùm Ratione Ratiocinante, aut connotatione extrinseca. Ita tamen distinguuntur, vt includantur implicitè in conceptu Essentiæ & illa in ipsis, ac quodlibet ipsorum includat cætera. Hæc verò distinctio solùm fit à nobis. Si considerentur vt se implicitè inuoluunt, sunt æqualis perfectionis; si vt dicunt Rationes explicitas, sunt inæqualia secundùm quid. Prædicantur de Essentia; & illa de ipsis, ac vnum de alio, non solùm identicè, sed & formaliter, idq; tàm in concreto, quam in abstracto.

De Attributis Dei in Specie: idq; quoad *Esse*.

DEUS est omninò simplex: nec potest in compositionem aliorum venire. Est summè & infinitè perfectus, ita vt omnes Perfectiones simpliciter simplices contineat formaliter eminenter; Perfectiones verò secundùm quid, tantùm eminenter, idq; continentiâ perfectâ.

fectâ. Est summè Bonus & simpliciter Infinitus, Immensusque. In spatiis tamen Imaginariis, non est actu & positiuè, sed negatiuè & fundamentaliter. Omninò immutabilis & æternus: isq; solus.

De Attributis Dei, quoad *Operari.* & *Primò*

De Scientia Dei secundùm se.

IN Deo est propriè & formaliter Scientia: idq; per modum actus secundi: & perfectissima, vniuersalissimaq;. Ex se vnica & simplicissima; respectu verò creaturarum, diuiditur in Scientiam simplicis Intelligentiæ & Visionis: idq; adæquatè. Est Causa Rerum, non solùm Directiua, sed & Effectiua: ita vt Scientia simplici Intelligentiæ sit causa illarum in actu primo: non quidem immediatè, sed mediatè; Scientia verò visionis in actu secundo: idq; quâ Approbationis est. Obiectum primarium illius est ipsemet Devs: Secundarium sunt Creaturæ: non tantùm in vniuersum, seu in Genere; sed etiam sigillatim & in particulari.

De Scientiâ Possibilium.

DEvs cognoscit Creaturas Possibiles in sua Essentia, vt in Causa; non verò in seipsis immediatè. Cognoscit non Entia, seu figmenta & Entia Rationis, quæ ab intellectu creato formantur; ea tamen ipse non format. Cognoscit omnia mala, id est, Naturæ, Culpæ, & Pœnæ: idque non per Bonitatem suam immediatè, sed per bonitatem creatam.

De Scientia Futurorum Contingentium: idq; Absolutorum.

DEvs certò & infallibiliter cognoſcit futura Contingentia Abſoluta; idq; non ante Decretum; ſed in Decreto & prædefinitione ſuæ voluntatis; & quidem, peccata quoad materiale, in decreto poſitiuo; quoad formale, in decreto permiſſiuo. Sunt illi ab æterno præſentia, non ſolùm obiectiuè & intentionaliter, ratione ſuæ præſcientiæ; ſed etiam realiter & phyſicè, ratione ſuæ æternitatis. Hæc tamen præſentia non eſt ſolùm & vnicum medium, in quo Devs illa certò & infallibiliter poſſit cognoſcere.

De Scientia Conditionatorum.

DEvs certò & infallibiliter cognoſcit futura Contingentia Conditionata; non tamen ante Decretum. Decreta verò ſubiectiuè abſoluta & obiectiuè Conditionata, etiam circa actus prauos, ſunt in eo. Scientia Media non datur in ipſo: & ſine ea humana libertas cum certitudine Prædeſtinationis & efficacia Gratiæ, optimè conciliari poteſt.

De Ideis Diuinis.

DAntur in mente Dei Ideæ Creaturarum: quæ non ſunt ipſæ Creaturæ, vt menti Dei obiectæ; ſed ſunt Eſſentia Dei, idque non præcisè, vel vt gerit vices intellectionis, aut ſpeciei; ſed vt eſt imitabilis à creaturis, ſunt plures in illo: non quidem realiter & entitatiuè; ſed formaliter & denominatiuè diſtinctæ. Et ſolùm creaturarum, tam pro aliqua differentia temporis exiſtentium, quàm purè poſſibilium. Mali, peccati, Priuationum, non eſt in ipſo Idea.

Secun-

Secundò. De Voluntate DEI: idque Secundum se.

IN DEO est propriè voluntas: non per modum potentiæ & actus primi, nisi ex modo nostro concipiendi; sed per modum actus purissimi. Obiectum formale & primarium illius, tam motiuum, quàm terminatiuum, est sola Bonitas Increata, seu diuina; non verò Bonum vt sic; Materiale verò & secundarium est Bonitas creata. Seipsum, seu suam Bonitatem vult & amat necessariò, tam quoad specificationem, quàm quoad Exercitium; creaturas verò existentes & futuras liberè: Possibiles nullo modo; si tamen illas amaret, necessariò illas amaret. Malum culpæ non vult; licet illud permittat; malum verò Pænæ vult, non per se, sed per Accidens. Habet propriè libertatem, imò perfectissimam: quæ non consistit adæquatè in denominatione extrinseca: nec in perfectione intrinseca & extensiua: nec in effectibus ad extra productis, vel actione illorum productiua, etiam inadæquatè: nec in entitate modali defectibili: nec in respectu Rationis ad creaturas; sed in terminatione intrinseca ad illas, defectibili sub ratione terminationis, & indefectibili sub ratione Entitatis & perfectionis. Vtraque verò Libertas, tam Contrarietatis, quàm Contradictionis est in eo.

De Voluntate DEI, secundum Partes.

VOluntas DEI adæquatè diuiditur in Antecedentem, & consequentem. Quæ diuisio non est ex parte volentis, seu voluntatis DEI; sed ex parte rei volitæ. Antecedens est tantùm voluntas secundum quid; Consequens

quens eſt voluntas ſimpliciter & Efficax. Voluntate Antecedenti, ſeu Generali vult omnes homines, etiam poſt Adæ lapſum, ſaluos fieri: & hæc voluntas eſt conditionata: non ex eo, quod pendeat à conſenſu & determinatione voluntatis humanæ, vt à Conditione; ſed ex eo, quòd importet actum conditionatum, quo ſ. DEVS vellet ſalutem omnium, niſi id repugnaret ordini ſuæ Prouidentiæ, & niſi ex hoc impediretur Bonum vniuerſale ſuæ Iuſtitiæ, ac cæterorum Attributorum manifeſtatio. Et per hanc voluntatem, præparantur homini media, ſeu auxilia ad ſalutem ſufficientia. Circa actus noſtros liberos habet DEVS Decretum ex ſe efficax & non purè indifferens: & illius efficacia etiam ad ſtatum Innocentiæ Angelorum & hominum extenditur.

De Voluntate DEI, ſecundum Affectus.

IN DEO eſt formaliter Amor: non ſolùm erga ſe, ſed etiam erga creaturas: iſque amicitiæ; non tamen æqualiter. Non eſt verò formaliter in eo Deſiderium, non ſolùm ad Bona intrinſeca, ſed etiam extrinſeca, cuiuſque Generis & conditionis ſint. Non eſt in ipſo Spes, Deſperatio, Timor, Audacia & Triſtitia. Odium & Ira, ſunt in illo, non propriè, vel metaphoricè.

De Voluntate DEI, ſecundum virtutes.

IUſtitia eſt verè & propriè in DEO; ſed non eſt in eo formaliter Commutatiua; verùm tantùm Diſtributiua,

tiua. Misericordia est formaliter in ipso. Prouidentia verò est in illo omnium rerum creatarum, etiam minimarum: idque non solùm quoad species; sed etiam quoad Indiuidua illarum. Quæ Prouidentia, licet connotet & præsupponat actum voluntatis; non tamen consistit essentialiter in illo; sed in actu Intellectus: non quidem in eo, qui dicitur Iudicium, sed in eo, qui dicitur Imperium. A scientia eius Practica, Arte, Lege æterna, Ideis diuinis, & à potentia illius Executiua, distinguitur: & per illam DEVS prædefinit ab æterno & prædeterminat omnes actus liberos voluntatis nostræ.

Cui Laus, Honor, & Gloria, in æternum.

APPENDIX PANEGYRICA
ILLUSTRISSIMÆ
SZEMBECIORUM DOMUI
Concentu Lyrico
APPLAUDENS.

INgens Poloni gloria Climatis
Magnumque Gentis Sarmaticæ decus,
SZEMBECIORVM clara Pubes,
Te ne rudi cecinisse plectro
Audebo Vates? cûi neque Carminis
Nec par venusti gratia barbiti
Cantus redordiri capaces,
Aonijs fidibus, Lyrisque.
Permittit vsquam; sed quia Lesboos
Tentare neruos mens iubet inclyta
Mystæque Sacrati potestas,
Pindaricis resonare chordis.
Proinde toto pectoris ambitu
Vrgebo celsas Nominis aurei
Sonare laudes, & vetusta
SZEMBECIæ monumenta famæ.

Bella-

Bellacis altrix germinis hæc Domus
Cadmæa fuſo Sanguine pectora
Firmauit in cædes, necemque
Barbarici opprobriumq; faſtûs.
Nam concitatis impiger auſibus,
Quocunque Regni ſæua neceſſitas
Inuitat euibrare dextras,
Sponte ruit generoſus ardor
Hoſtemque contra pectus agit Sacrum,
Vitæque carum pignus adoreis
Permiſcet, audacis triumphum
Dans animi ſpecimenq; dextræ.
At ne cruentis ſemper in otijs
Tantum feracem quærere gloriam
Præſtet, togatus non minorem
Poſcit honos agitare laudem.
Amica magnis turba palatijs
Throniſque Regum purpureis placens,
Sacriſque Principum Coronis
Gemma frequens, pretiũq; Sceptris
SZEMBECIANI pignora Sanguinis
Fuêre ſemper; quos fauor intimis.


Dignatur arcanis, grauesque
Accumulat meritis honores.
Sed quid Vetusti Nomina temporis
Narrare prodest? dum celebris nouos
Propago successus recenset
Innumeris redimita factis.
Augusta latè fulget en inclyti
Virtus PARENTIS non latitans Tui,
Quem candor illimis, grauîsque
Mentis honos, sapiensq; rerum
Commendat ordo; dulcis & eloquî
Prudensq; cultus, Mercurialibus
Votis probatus, dum supremum
Consilijs moderamen egit.
Iunxit mariti fœdere Sanguinis
PIENIASCIORVM grande sibi decus,
Sic & Palatinas per ædes
Purpureum capiens amorem.
Adest propinquis sed quoque passibus
Dilecta Magni portio Sanguinis,
Hæresque Virtutis Paternæ
Sarmaticæ pretiumq; Gentis.

PRæ-

8

PRÆCLAVS alti gloria pectoris,
Oraculorum viua recentium
Cortina, dulcedoq; suadæ,
Astrigeræ Themidis voluptas.
Vidit supremum Curia Præsidem
Forumque Regni Iudicialibus
Præesse votis, & feroces
Arbitrio domuisse casus.
Hæc Te Paternæ splendida gloriæ
Stat turba circùm, sortis & aureæ
Germanus ordo, concolori
Te redimit sequiturq; passu.
Nam glorioso Te comitas sinu
Candorq; veri conscius ominis
Commendat, aureiq; munus
Eloquij grauiumq; semper
Momenta rerum, quæ validis Tibi
Cedunt cateruis in Caput anxium,
Doctumq; pectoris recessum
Insolito comitantur ausu.
Dilecte summis Principibus nimis,
Amor Sacrorum maxime Præsulum

Te iusta Virtus præmiabit
Præsuleis aliquando Mitris.
Id facta paucis conscia mentibus,
Doctiq; census Nominis id vouent,
Id Vatis expectabit in Te
Solliciti cor amorque Voti.



SUB FELICISSIMIS AUSPICIIS
Magnifici, Perillustris, & Reuerendissimi Domini,
D.M. IACOBI BALTAZAROWIC,
S. Th. Doctoris, & Professoris, Collegii Maioris
Senioris Patris, Ecclesiarum, Cathedralis Cracou:
Canonici, Collegiatæ SS. Omnium PRÆPOSITI, Curati Prosouiensis, Contubernij Staryngeliani Prouisoris, Studij Almæ Vniuersitatis Cracouiensis Generalis & Vigilantissimi
R E C T O R I S.